

est, recipiat & in multa pace fruatur. Sin autem, bona illa in eadem possessione, qva ille obierit, annum & diem in districtu reserventur. Si vero nullus infra tempus denominatum bona ista requisierit, iudex civitatis ea recipiat. Novissime autem eandem gratiam & justitiam, qvam nostris mercatoribus decrevimus, eandem omnibus Gutensibus inperpetuum statuimus fideliter conservandam, hoc videlicet pacto ut grata vicissitudine idem nostris & ipsi exhibeant. Nos quoqve & terram nostram de cætero arctius diligant, & portum nostrum in Lubeke diligentius frequentent. Hujus autem rei testes sunt hi: Episcopus Geroldus, Evermodus Episcopus, Berno Magnopolitanus Episcopus, Marchio de Vohhorg, Adolphus Comes, Sifridus Comes, Wolradus Comes, Henricus Comes de Ratzeburg, Luthardus de Meinerssen, Adolphus de Woltingeroth, Guncelinus, Anno Camerarius, Ludolphus Dapifer, Reinoldus Comes de Lubeke. Acta sunt hæc anno Domini M<sup>o</sup>. centesimo sexagesimo tertio, regnante gloriosissimo Domino Frederico Romanorum Imp. Augusto, anno Regni sui decimo, Imperii septimo. Datum in Erteneborch XV. kal. Novembris.

49.

1164 d. 5 Aug.

Sens?

Påfv. ALEXANDER III:s Bref till Ärke-Biskop STEPHAN och hans efterträdare i Embetet, att honom gifves pallium och Ärke-Biskops värdighet öfver Sverige och Biskoparne i Skara, Linköping, Strengnäs och Westerås, med Upsala stad till Ärke-Biskopssäte, jemte stadgande att så han som efterträdare skola invigas af Ärke-Biskopen i Lund hvilken de skola vörda såsom Primas; med bestämmelse derjemte af dagar och tillfällen, då Ärke-Biskopen får bära pallium.

B. 2: 172.

Institutio metropolitane sedis in vpsalia temporibus stephani archiepiscopi.

ALEXANDER episcopus servus servorum dej venerabili fratri stephano eiusque successoribus canonicè substituendis. J N P P M.

Licet omnes discipuli eandem ligandi atque soluendi acceperint a domino potestatem licet vnus verus & singularis magister christus omnibus iniunxisset predicare ewangelium omni creature, quedam tamen inter eos habita est discrecio dignitatis, & dominicarum ouium curam que omnibus equaliter iminebat, beatus petrus quadam speciali prerogatiua suscepit, dicente ad eum domino, petre amas me pascere oues meas Qui eciam inter omnes apostolos principatus nomen optinuit. & de fratrum confirmacione singulare a domino preceptum accepit. vt in hoc peculiariter posteritati daretur intelligi quod quamuis multos ad regimen ecclesie contingeret ordinari vnus ta-

men solummodo supreme dignitatis locum fastigiumque teneret. & in omnibus potestate iudicandi & gubernandi honore presiderat unde & secundum hanc formam in ecclesia distinctio seruata est dignitatum. & sicut in humano corpore pro varietate officiorum diuersa ordinata sunt membra. ita in structura ecclesie ad diuersa ministeria exhibenda diuerse persone in diuersis sunt ordinibus constitute, aliis enim ad singularum ecclesiarum aliis autem ad singularium urbium dispositionem, ac regimen ordinatis, constituti sunt in singulis prouinciis alii quorum prima inter fratres sententia habeatur & ad quorum examen subiectarum personarum questiones & negocia referantur Super omnes autem romanus pontifex, tamquam noë in archa primum locum noscitur optinere. qui ex collato sibi desuper in apostolorum principe priuilegio de vniuersorum causis iudicat ac disponit. & per vniuersum orbem ecclesie filios in christiane fidei firmitate non desinit confirmare talem se curans iugiter exhibere. qui vocem dominicam mereatur audire, qua dicitur, et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos hoc nimirum consideracionis intuitu prouocati & tibi frater in christo karissime cum ad nostram presenciam accessisses iuxta quod a predecessoribus nostris ab antea actis temporibus dispositum fuerat ac statutum sed non dum execucione operis ad impletum precibus et interuentu karissimi filii nostri caroli illustris regis sweorum et gothorum, episcoporum quoque & vlfy ducis regni illius pallium, pontificalis scilicet officii plenitudinem duximus indulgendum Et ne de cetero prouincie swecie metropolitani possit cura deesse, commissam gubernacioni tue vpsaliam vrbem eiusdem prouincie perpetuam metropolim ordinauimus et scaresensem lincopensensem strengeensem & arusiensem episcopatus ei tamquam sue metropoli perpetuis temporibus constituimus subiaceret & eorundem locorum episcopos tam presentes quam futuros sicut metropolitanis suis tam tibi quam tuis successoribus obedire Statuimus autem vt sicut tu de concessione et mandato nostro consecracionis munus a venerabili fratre nostro lundensi archiepiscopo suscepisti ita et successores tui. ab eo & a successoribus suis consecracionem debeant absque vlla contradictione recipere & tamquam proprio primati obedienciam & reuerenciam exhibere Porro concesso tibi pallio pontificalis scilicet officii lenitudine infra ecclesiam tuam ad sacra tantum missarum sollempnia per vniuersam prouinciam tuam hiis solummodo diebus uti fraternitas tua debet qui inferius leguntur inscripti natiuitate domini epyphania cena domini resurrectione ascensione pentecostes in sollempnitatibus beate deie genitricis semper virginis marie natalicio beatorum apostolorum petri et pauli In inuencione exaltacione sancte crucis natalicio sancte iohannis baptiste In festo beati iohannis ewangeliste commemoracione omnium sanctorum in consecracionibus ecclesiarum vel episcoporum benedictionibus abbatum ordinacionibus presbyterorum in die dedicacionis ecclesie tue ac festo sancti lau-

rencij & anniuersario tue consecracionis die, decernimus ergo vt nulli omnino homini liceat vpsalensem ecclesiam temere perturbare aut eius possessiones auferre vel ablatas retinere. minuere. seu quibuslibet vexacionibus fatigare sed omnia integra & illibata seruentur eorum pro quorum gubernacione & sustentacione concessa sunt vsibus omnimodis profutura, salua sedis apostolice auctoritate et lundensis episcopi debita iusticia & reuerencia Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire temptauerit secundo tertioque commonita si non reatum suum condigna satisfactione correxerit potestatis honoris que sui dignitate careat, reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat & a sacratissimo corpore ac sanguine dej & domini redemptoris nostri iesu christi aliena fiat atque in extremo examine districte vlioni subiaceat cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus, sit pax domini nostri iesu christi quatenus & hic fructum bone actionis percipiant & apud districtum iudicem premia eterna pacis inueniant amen.

50.

1164 d. 5 Aug.

Sens.

Påfv. ALEXANDER III:s Bref till Sveriges Biskopar i samma ämne; med erinran derjemte, att ej göra några olofliga anordningar; ej för vällefnad, utan för Christendomens förkofran, resa omkring i sina församlingar; ej för gåfvor utdela beställningar; utan i allt redligt och vaksamt vårda sin hjord.

B. 2: 179, 180.

Item de ordinatione metropolis s. vpsalie alexandri tercij pape.

ALEXANDER episcopus seruus seruorum dej. venerabilibus fratribus, vniuersis episcopis per regnum swecie constitutis salutem et apostolicam benedictionem, venerabilem fratrem nostrum, stephanum olim vpsalensis ecclesie electum, nunc vero archiepiscopum vestrum ad sedem apostolicam venientem, debita benignitate suscepimus, et omnem illam ei gratiam exhibuimus & honorem, quem sibi a nobis decuit exhiberi. atque petitionibus suis grato concurrentes assensu, iuxta quod ab antecessoribus nostris ab anteactis temporibus dispositum fuerat & statutum, sed non dum execucione operis adimpletum, precibus & interuentu karissimi in christo filii nostri. C. illustris regis sweorum & gothorum, vestris quoque & vlfy ducis regni illius, pallium pontificalis scilicet officii plenitudinem, ei duximus indulgendum, Et ne decetero prouincie swecie metropolitani possit cura deesse, commissam gubernacioni sue vpsalensem vrbem, eiusdem prouincie perpetuam metropolin ordinauimus, & episcopatus vestros ei tanquam sue metropoli, perpetuis temporibus